Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30296
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift



peccatorum meorum respondi credo. uidi super me
manum de celo uenientem et angelum dei flammeo
aspectu radiantem iuxta me stantem et omnia
peccata mea que feci ab infancia recitantem
de libro. que ipsa aqua lauit. qua ego in con
spectu uestro perfusus sum. Quid ergo faciam. dum
studeo placere regi terrestri. celesti regi com
placui. dumque hominibus risum facere uolui.
angelis gaudium feci. Hunc inclite imperator
uos et omnes populi qui risistis de his myste
riis mecum. credite uerum deum esse xpm. hunc
esse ueritatem hunc esse pietatem et per ipsum credite
ad indulgentiam posse pertingere. Tunc in fu
rorem prolapsus imperator. iussit ad se adduci
omnes qui cum eo minimum illustrauerant
et in conspectu suo uirgis cedi estimans eos
similiter credere. Tunc illi ceperunt blasphe
mare nomen sanctum xpi. et dicere. Nos aliter
meditati sumus. iste autem insanus factus
dimisit leticiam suam. et pietatis uestre et toci
populi. et planctum sibi xpianorum assumpsit.
ac in hoc quod solus fecit. xpc expiatur. Tunc
imperator ita furere et seuire in genesium ce
pit. ut si ab herrore non prohyberetur. sangui
nem eius biberet. Tunc in conspectu populi fecit
eum fustibus cedi. ut quasi indignationi eius
satisfaceret.

Altero uero die iussit eum ab plutiano prefecto
suo tamdiu tormentis agi quo ad usque
sacrificandum ydolis consentiret. Qui cum in
positus fuisset in ceculeo et plutianus ei
diceret. insane et miserrime sacrifica dus
ut ad animum nostrorum possis reuocari dominorum.
Genesius respondit. Redeant ad animum
~~regum istorum. nec enim est alter rex preter illum qui~~
~~est dominator~~ qui non timent regem illum qui est domina
tor regum istorum. nec enim est alter rex preter illum
quem ego uidi. et adoro. et colo. ut pro illius cul
tura similiter occidar. Ipse uero ut cepi plane
ualde peniteo quod ante uobiscum nomen
sanctum in omnibus sanctis exhorrui. et satis tarde
ad adorandum uerum regem miles superbus
accessi. Dicit ei plutianus. Quis est rex pre
ter regem nostrum. Genesius dixit. Rex iste
homo est. rex autem quem ego adoro deus est.
iste rex super certam terre partem imperat. xpc
autem in toto celo et in tota terra imperat. Rex
iste intra certos annos finem inueniet.
xpc autem uiuit et regnat in omnia secula seculorum.
Igitur cum diu in ceculeo positus acrius coac
tus esset et flamme lampadum latera eius aperirent.
semper xpm in uoce. xpm in clamore. xpm
usque ad finem confessus est. Cuius gesta cum
diacletiano plutianus prefectus intra pa
latium recitasset. iussit eum capite cedi. Quam
sententiam cum omni gaudio suscepit sanctus
genesius octaua kalendas septembris. Eodem
die diocletiano quater consule. Regnante domino
nostro ihesu xpo cui est honor in secula seculorum amen.

Eodem die Pontiani et Sociorum eius.

In Diebus illis regnante comodo.
huius preceptione sic uulgatum est. ut die
natalis eis omnis uulgus ad agonem
conuenirent. et hoc declarauit in o
rationem dicens. ut uniuersitas ple
bis romanico et herculis potentie
uel iouis in laudem. acclamarent.
ita ut ipse comodus induisset se pel
lem leonis. et accipiens mensuram suam an
te sedem suam symulacrum iouis. et in ago
nem coram omni cetu populi romani sedens. fluc
tuabatur. Cui omnis populus acclamabat dicens.
Protector herculis rei publice et defensor li
bertatis audatie romane. Quod clamatum
est septuagies quinquies. Eodem namque tempe
erant uiri xpiani. in quodam loco in uico
qui appellatur canarius. inter quos erant
uiri religiosi. et xpianissimi. Eusebius. Vin
centius. et peregrinus. et po ntianus. Qui
omnes facultates suas cottidie pauperibus
erogauerant. et domino seruire compulerant.
Hii cum audissent comodum hoc fecisse de
ridebant eum. et per omnem ciuitatem predica
bant populo dicentes. Date honorem domino nostro
ihesu xpo et recedite a fallacia diabolica et
credite deum celi patrem omnipotentem et ihesum
xpm dominum nostrum. et agite penitentiam et bap
tizemini in nomine eius. ut deleantur
uestra peccata. ne simul pereatis cum comodo. Hoc
audiens quidam senex iulius eos publice
predicantes uocauit eos in domum suam. et instan
ter audiens predicationem eorum. credidit. et cepit
facultates suas pauperibus per manus eorum distri
buere. Et dum omnia sua erogasset. rogauit
ad se quendam presbiterum nomine rufinum. et pecuit
se baptizari. Et percepto baptismo cum omni do
mo sua. cepit et ipse publice confiteri. et omnem
reditum suum dare et dispergere pauperibus. Hoc
cum nuntiatum fuisset comodo. iratus iussit
eum teneri. Qui cum fuisset ei presentatus dixit
ei. Iuli quomodo amens factus es. ut dese
ras deum iouem et herculem. et queras amen
tiam uanam. Cui respondens uirilitur. Simul
cum eis pereas. quos simul ore mentiris. Eadem
hora tradidit eum uitellio ex magistro pe
ditum. cui hec precipiens. omnes facultates eius
require. et coartare eum sacrificare hercu
li. quod si non acquieuerit. non uacet eum diu